



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Syrvs Ep. 9. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

cum rosâ multorum etiamnum in hanc diem pietas floret, quam ipsa ad iumina in Hispaniâ his verbis loquuntur: *benedictum sit S. mysterium immaculatæ Conceptionis MARIÆ.* Quid? quod aliter sentientes DD. rectius nuper ab Hispanis infantibus erudiri vidimus. Se certè accuset, qui maculam hodie videt; suam dicat: Non habet purum, sed ostendit maculas, speculum. *Ex Baron. & Spinello.*

S. SYRVS EP. 9. Decembris.

SACRA nostra SYRVS à D. Hermagora Sest edoctus, ipse Papienses docuit, multum eâ in re S. Iuuentii operâ usus, quem socium expeditionis Hermagoras addiderat, cuique à morte SYRVS noster medius martyres inter triumphare est visus. Veronâ transeunti, ut de fide nostrâ dicenti fidem haberent incolæ, testem è tumultu mortuum excivit, & cum primùm Papiam est ingressus, senis civibus gravissimè decumbentibus salutem corporis, multò pluribus deinde animorum tulit, qui verbis mirisque ejusmodi inducti facile Christianis accesserunt; tunc præsertim, cum novo hospiti cedere, hospitem Orcinum viderunt, qui è puero Syri imperio illico ad ergastulâ suâ migravit. Addo è plurimis aliis illud, quod unum Papiensibus admirationem

tionem parere poterat; nobis iustissimum metum potest, si impiati sacram mensam frequentemus. Ausus est Hebraeus inter Christianos profanus accubere, Divinum cibum ore exceptum non stomacho, sed coeno post sacra daturus. Prohibuit Numen, & vindices ignes se ore servare scelus advertit, qui tandem miserabili incendio impurum exusserunt, dum quæ palato impio pendebat, Hostiam sacram SYRI manibus reddidit. Quid hinc Christiani? porro mensam cum Iudæo impuri acceditis? Non sentitis ultores hos ignes? graviores sentietis. *Ex Surio.*

S. M E N N A S M. 10. Decembris.

MENNAM Maximinus Antiochiæ præfecit suis, ut quidem putabat, sacris, revera Christianis addictum. Erravit feliciter tamen Imperator, neque Respublica unquam melius illi stetit, quam cum Christianis ius Christianus Proconsul diceret, & alios verbis, alios miraculis, omnes vitæ exemplo ad Christum traheret. Id ubi aliquantò seriùs rescivit Maximinus, qui rem Deorum restitueret, Hermogenem misit. Hic de loco ac munere MENNAM, sed non perinde de constantiâ dejecit, ut qui refectâ fœdè à pedibus carne in sententiâ tamen perstitit, neque post erutos oculos linguamq; vel à
viâ